



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

Cap. XII. De Iure Canonico, quid sit Jus canonicum? quomodo inceperit?
quæ sit ejus dignitas? quando leges civiles ei cedant? quibus partibus
constet: & quando obliget vel non obliget?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256

tionones. Tertio librum, seu usus Feudorum.
4to. Institutiones.

Citatur vero Digestum per Litteram D.
aut ff. aut σ .

Codex per Litteram C. LEX per Litte-
ram L.

Non vero omnes LEGES, quæ habentur in Jure Civili, obligant, quia multæ, abrogatæ sunt in varijs Provincijs, per contrarias LEGES, vel Consuetudines contrarias. Aliquæ etiam servari non possunt, absque Peccato, ne quidem etiam in foro externo, utpote quæ LEGI Dei aut LEGI Canonice illas reprobanti adversantur. Ita Felinus ad caput Ecclesia de constit. quem refert Reginaldus in praxi lib. 13. cap. 21 Cujus multa Exemplam adfert Sylvester verbo LEX q. 10. Et tractat de hoc Azorius in prima parte Moralium Instit. lib. 5. cap. 20. & 21.

CAPUT XII.

De JURE Canonico.

Quid sit IUS Canonicum. Quando inceperit. Qua sit ejus Dignitas, Quando LEGES Civiles ei cedant. Quibus partibus constet. Et quando obliget, vel non obliget?

IUS CANONICUM vocatur illud
C 2 Jus

Jus Positivum, quod à summis Pontificibus constitutum, vel approbatum est. Cap. Nō decet, de Consanguinit. & Affinit. & Abbas ibidem. Appellatur autem Jus CANONICUM, à Græca voce Κανον, quæ Latine Regula dicitur, & per Antonomasiam, Regula Ecclesiastica, eo, quod sit collectum ex Canonibus, id est, Regulis Ecclesiasticis, ad rectè vivendum, & æternam salutem consequendam institutis. cap. i. x. de constit.

Vocatur etiam Ecclesiasticum ac Divinum quia Canones Ecclesiastici, tanquam Conclusiones, vel Determinationes quædam, ex LEGE Divina, uti è suis fontibus ac Principijs profluunt, ac eliciuntur. cap. Qualiter Et cap. Quando. x. de Constit.

Incepit vero Jus Canonicum ab Exordio nascentis Ecclesiæ, prout Canones Apostolorum testantur, postea vero, pro exigentia Negotiorum & Status Ecclesiastici accrevit, præsertim à tempore Constantini Magni, ut patet ex cap. Canones dist 15.

Illud vero observandum: Quod si Jus Canonicum contradicat Civili, servandum sit Canonicum, si materia concernat peccatum, vel Animam Alias utrumque in suo foro.

Si vero sit casus decisus à Jure Civili, & dubius de Jure Canonico, servandum est Jus

Civi-

Civile in utroque foro. Sicut è contra, si casus decisus sit in Jure Canonico, & dubius de Jure Civili. Ita Abbas in cap. de novi operibus nuntiatis & Bartolus in lib. Privilegia & l. omni novatione.

Hinc LEGES Civiles, quando non obviant Canonibus, censentur tacite probatae, & confirmatae per Canones, reprobatae vero quando obviant. Ita Archidiaconus in Canonibus de Libellis dist. 20.

In Causis vero Miserabilium personarum servandum est Jus Canonicum, in utroque Foro, quando Canones contrariantur LEGIBUS Et, si Jus Civile foveat lucrum odiosum, & sapiat rigorem, non servabitur in foro Canonico, etiamsi per Canones non sit reprobatum. Si vero statuatur aequitatem, Jus autem Canonicum rigorem, servandum erit Jus Civile in utroque foro, Ita Felinus in cap. in causis de Testibus & Attestat. Et Maranta par. 3. spec. num. 75 & 76.

Unde patet, quanto hoc Jus Canonicum sit augustius & sublimius Jure Civili, tum ratione causae efficientis, tum ratione universalitatis, tum ratione Finis, quem spectat, quia hoc à Potestate mere Spirituali, à Christo, Petro ejusque Successoribus communicata promanat, & omnes omnino, Fideles, etiam

Reges & Imperatores astringit, Finemque mere Spiritualem, æternam nempe Beatitudinem, principaliter, & ultimè intendit.

Jus vero Civile, à potestate prorsus Sæculari & terrena dimanat, Et est unius tantum Civitatis, aut Populi, ac finem merè temporalem & terrenum respicit, nempe vitam Civium talem, quæ Naturali Rationi sit consona. Ita Baptista in Rubr. Decr. Gratiani.

Distinctum est hodie Jus Canonicum prout in Scholis docetur, quinque partibus. Prima est Decretum Gratiani, ex varijs Summorum Pontificum, ac Conciliorum Sanctionibus, ac SS. Patrum Sententijs concinnatum, sedente Papa Eugenio Tertio, qui traditur illud publicis Gymnasijs concessisse legendum, aliquotque ab hinc annis, jussu Gregorij Decimi Tertij emendatum est, ut habet Epistola operi præfixa.

Decretum hoc, quatenus à Gratiano, ut privato Homine, Monacho S. Felicis, Ordinis S. Benedicti, Bononiæ Anno 1150. privato studio est consarcinatum, auctoritatem Legis non quidem habet, quia tamen cum reliquo Juris corpore circumfertur, & in Scholis docetur, & à Gregorio 13. reliquis partibus Juris id annumeratur, fidem facit, ut nota Abbas in cap. 2. x. de Rescriptis, cujus tamen

major vel minor est Authoritas, ratione Authorum, è quibus illa decreta desumuntur. Quo ad Paleas, verius videtur, eas esse, quasdam Additiones, ad primam collectionem Gratiani, sive ab ipso met, vel alio factas, quæ tamen non contemnendæ, cum multæ ex illis, & in Decretalibus habeantur.

Secundam partem JURIS CANONICI, constituunt quinque libri Decretales, quas Gregorius Nonus opera Raymundi Pœnitentiarii sui compilavit. Anno 1230: Decretales autem propriè dicuntur Summorum Pontificum Responfa, ad aliquorum Consultationes vel Interrogationes. Decretales citari solent sub nomine Extra, & hoc signo ✕

Tertiam partem constituit LIBER SEXTUS, quem Bonifacius Octavus edidit, circa Anno 1294. ac partim suas, partim Gregorij X. Innocentij IV. Clementis IV. & Aliorum, uti etiam ipsius Gregorij IX. novellas Constitutiones ac Decretales continet, uti & 2. Generalium Conciliorum Lugdunensium DECRETA, totidem Libris, quot ipse Gregorius IX. iisdem Titulis, licet non omnibus, Compilationi Gregorianæ, seu quinq; Libris Decretalium Gregorij IX. seorsim adjecit, qui citari solet in 6.

Quartam partem constituunt Constitu-

C 4

tiones

tiones Clementinæ à Clemente V. editæ Anno 1310. potissimum in Concilio Viennensi promulgatæ vero ab ipsius Successore, Joanne XXII. Et citantur in Clementinis.

Quintam partem constituunt Extravagantes, ideo dictæ, quod antea extra Corpus JURIS Canonici, incerta quasi sede vagarentur. Harum primæ continent Constitutiones viginti, juxta Decretalium Ordinem, & vocantur Extravagantes Joannis XXII. Aliæ vero dicuntur Extravagantes communes, quia multis Pontificibus sunt communes, nec uni soli debentur.

His postremo accessit septimus Decretalium à Jurisconsulto Lugdunensi celeberrimo D. Petro Matthæi Collectarum. Ita Valensis in præmio paratitl.

Quamvis vero, etiam in Foro Ecclesiastico, LEGES & Principum Constitutiones recipiantur: Can. Summopere II. q. 3. sic tamen hoc intelligendum, dummodo Sacra Scripturæ, vel Sacris Canonibus, vel bonis moribus non adversentur. cap. 2. q. 9. dist. 10. Nec expresse statuant de rebus, aut Personis Ecclesiasticis, sed simpliciter loquantur, nisi forte Ecclesiæ favorem contineant, nam de illis Potestas Sæcularis nil valide potest statueret. Cap. quæ in Eccles. X. de Constit. sed in

illis subest Ecclesiasticis. cap. certum dist. 10.
Nam Potestatem Sæcularem manet obsequendi necessitas, non imperandi auctoritas
Can: Bene quidem dist. 96. Idque ex Institutione divina. cap. LEGE. dist. 10.

Hinc patet, Justiniani Constitutiones, in Codice & Novellis, de Rebus & Personis Ecclesiasticis, nominatim disponentes, licet de factò olim obtinuerint, de JURE tamen Canonico, nullius fuisse momenti. Ita Valens in Proëmio Paratit.

Quo ad omnes vero LEGES, tam Canonicas, quam Civiles, sciendum, nullas earum obligare, si non fuerint receptæ, quamvis primo non recipientes peccaverint. L. de quibus ff. De LEGIBUS. Et est communis Sententia Doctorum. Nam LEX censetur lata sub conditione, si recipiatur, etiam si etiam illa LEX deroget consuetudini, & non sit recepta per ignorantiam.

Tunc vero dicitur LEX non recepta, quando aliqui contractus seu actus, contra eam fiunt, seu à principio per majorem partem non servatur, Principe sciente, & tolerante. Et etiam, quando, eo ignorante, per decennium negligitur, & non admittitur. Ita Calderius, Cardinalis, Felucius, Jason, Navarrus, Parisius &c. Immo non requiritur

tempus decennij, sed sufficiunt actus contrarij, etiam Principe ignorante. Ita Felucius, Navarrus, Rodriges & alij.

Hinc, si v. g. Concil. Trident. fuerit receptum, in aliquo Concilio Provinciali, postmodum vero non observetur, dicitur, quod talis receptio fuerit in genere, & verbalis, cui non receptio, in specie deroget, quia voluntas majoris factis, quam verbis declaratur. Ita Garcia de Beneficijs par. II cap. 5. quia receptio, vel non receptio majoris partis Populi, seu Communitatis, facto ipso & praxi videtur attendenda. Idem Garcia par. II. cap. 159.

C A P U T XIII.

De Praxi Judiciaria.

Prooemium.

Postquam Papa Gregorius, sub finem Libri primi Decretalium, quaedam præambula, seu præparatoria Judiciorum præmississet, nec non quaedam, quibus Controversiæ ante Litis ingressum componuntur, ut sunt. PACTA, TRANSACTIONES, PROCHRATIONES, POSTULATIONES, RESTITUTIONES in integrum & Arbitraria. In secundo DECRETALIUM Libro univrsam Judicarij Ordinis rationem ac

mo
dic
cer
cre
bita
bus
Hir
gen
ting
vita
apu
inve
& fi
riæ
con
xi.

C
tar
trib
ctio
Ius
tet.

mo